

quod in scriptis solis reperitur. Cujus tres sunt species : aut enim spatio syllabarum fit tale ambiguum, aut acumine, aut utroque. Spatio autem, ut cum scribitur, venit, de tempore incertum est, propter occultum primæ syllabæ spatium. Acumine autem, ut cum scribitur, pone, utrum ab eo quod est pono, an ut dictum :

Pone sequens, namque hanc dederat Proserpina legem.  
(*Georg. liv. 4, v. 487.*)

incertum est propter latentem acuminis locum. At vero ex utroque fit, ut in superioribus de lepore diximus ; nam non solum producenda, sed acuenda est etiam penultima syllaba hujus verbi, si ab eo quod est lepos, non ab eo quod est lepus, deflexum est.

## ADMONITIO

### DE SEQUENTI OPUSCULO.

Opusculum de decem Categoriis castigavimus denuo ad Mss. septem, e quibus Germanensis pervetustus codex hæc in illius fronte præfert : *Prologus Alchuini ad Karolum Augustum super Categorias Augustini.*

Continet iste decem naturæ verba libellus ;  
Quæ jam verba tenent rerum, ratione stupenda,  
Omne quod in nostrum poterit decurrere sensum.  
Qui legat ingenium veterum mirabile laudet ;  
Atque suum studeat tali exercere labore,

Exornans titulis vitæ data tempora honestis.  
Hunc Augustino placuit transferre magistro,  
De veterum gazis Græcorum clave latina.  
Quem tibi, Rex magnus, sophiæ sextator, amator.  
Munere qui tali gaudes, modo mitto legendum.

*Categoriæ Aristotelis ab Augustino de græco in latinum mutatæ.* Eisdem versus exhibent Ms. Michaelinus et Amerbachiana editio, sed superscriptione illa carent, *Prologus Alchuini*, etc. Istud ipsum, opinamur, opusculum in lib. 1 de Odonis Cluniacensis abbatis vita designatur hisce verbis : *Odo his diebus adiit Parisium, ibique Dialecticam S. Augustini Deodato filio suo (a) missam perlegit, et Marcianum in liberalibus artibus frequenter lectitavit : præceptorem quippe in his omnibus habuit Hemigium.*

Itaque jam olim istius opusculi auctor credebatur Augustinus, cui alia complura a veteribus falso tributa fuisse nemo nescit. Et certe nusquam ipse meminit se de Categoriis tractasse : neque vero, uti supra observamus, deprehenduntur hic notæ eædem libri de Dialectica in lib. 1 *Retract.*, cap. 6, memorati, quem videlicet dialogi forma scripserat, eoque consilio ut per corporalia ad incorporalia perveniret aut duceret. Vides præterea quanti facit istius opusculi scriptor Aristotelicas cægorias, quas jugi labore, necnon Themistii philosophi magisterio se assecutum fuisse profitetur : cum e contra Augustinus in lib. 5 contra Julianum, cap. 14, illi adversario suo exprobrat, quod *Aristotelis categorias insipienter sapiat*, easque in lib. 4 *Confessionum*, cap. 16, nullo se negotio, et absque magistri sui subsidio intellexisse testetur. Atque hic Aristoteli Platonem anteferebat, ut videre est in lib. 8 de Civitate Dei, cap. 12 ; ille haud dubie cæteris Aristotelem, qui ab ipso Philosophus vocitatur per antonomasiam. Illud demum non est prætereundum silentio, Adeodati nomen, quod in editis habetur initio post verba, *o fili*, non reperiri in Mss. nisi forte a secunda manu in marginali aut interlineari spatio superscriptum.

(v). Per errorem ex glossemate Mss. e quibus Michael in margine sic habet : « Has Categorias transmisit filio suo nomine Adeodato. »

# CATEGORIÆ DECEM

## EX ARISTOTELE DECERPTÆ.

CAPUT PRIMUM. — *De oratione : et quam late pateat significatio οὐσιας.*

Cum omnis scientia disciplinaque artium diversarum non nisi oratione tractetur, nullus tamen, o fili, in quovis genere pollens inventus est, qui de ipsius orationis vellet origine principiove tractare. Idcirco miranda est Aristotelis philosophi diligentia, qui disserendi de omnibus cupidus, ab ipsius cœpit examine, quam sciret et prætermisam a cunctis, et omnibus necessariam. Is igitur nos docuit ex octo his, quas grammatici partes orationis vocant, eam solam recte appellari orationis partem, quæ indicaret aliquid, vocabuloque signaret. Itaque solas orationis partes, auctore Aristotele, nomen et verbum debemus accipere : cæteras vero ex his fieri, et compagine orationis potius, quam partes ejus debere nominari. Nomen namque personam demonstrat, verbum quid quisque facit patiaturve. Dehinc quoque hoc docente debemus advertere, quo compendio paulatim oratio coarctata per gradus cuncta quæ sunt uno vocabulo capta concluderit. Nam cum sit diversa innumerabilisque mortalium nuncupatio, nec comprehendi possit nominum tam lata diversitas, uno tamen vocabulo eum hominem dixeris, noscis omnes. Similiter et cætera, ut equus ille ἄντρος vel ἄθροος vel ἄθροος, vel ille atque ille. Et quanquam sit horum nominum quoque infinito comprehensio, equum tamen cum quis dixerit, monstrabit omnes. Et si quis leonibus, quod fieri solet, vel bobus imponat nomina, in immensum tenditur uniuscujusque cognitio, et acies mentis obtunditur : sed cum leonem, vel taurum dixeris, omnes qui ubique

sunt, sub uno nomine naturæ succidunt. Verum orationis vis, quæ infinita genera procreandi varietate singulis vocabulis colligaverat, parum fecisse visa est, nisi eadem coarctata in unum singulari nuncupatione concluderet. Ideoque et hominem et feram et equum dixit animal, dans cunctis nomen quod omnia possideret. Nec minus ea quæ sine anima sunt, brevi ex immensa demonstratione signavit : nam cum sit arbor et nucis et castaneæ et glandis et mali, cæteraque inexplicabilia genera virgultorum ; surculum vocans, singulari omnia et communi vocabulo astrinxit. Similiter ornamentorum diversos lapides compendiose vocavit gemmas. Postremo licet abunde prospexerat dispersa passim genera speciali nota concilians, tamen ingenti quodam et capaci ad infinitum nomine omne quidquid est comprehendens dixit οὐσίαν, extra quam nec inveniri aliquid, nec cogitari potest. Hæc est una de categoriis decem. Appellatas vero categorias constat, propterea quod non possint nisi ex subjectis agnosci, ὡς κατὰ τινῶν λεχθεῖσαι. Quis enim quid sit homo possit agnoscere, nisi aliquem sibi hominem ponat ante oculos, quasi subjectum homini ? Ne autem progrediente tractatu, in quo plurimis exemplis opus est, eadem ad docendum nomina repetantur, ac sæpe accidat ut vel Hortensii vel altius hominis, vel superius animalis, vel excelsius usiæ frequentata exempla in fastidium reciderent ; alia his vocabula, quibus ad disserendum philosophi uterentur, inflexit : itaque Hortensium, et nucis arborem, et equum Xanthum, et hic similia, αἰσθητά, ἄτομα, ἐνδρίθια, χαθίκαστα vocavit : αἰσθητά, quod tactu sentiantur ; ἄτομα, quod dividi et secari



nequeant: quis enim credat Hortensum cædi posse per partes? quod si fiat, Hortensius jam non erit: ἐν ἀριθμῷ, quod sint numeri unius; χθόνια, quod singularia: neque enim hæc in uno quovis geminari possunt. Deinde altiora, id est, hominem, equum, leonem arborem εἶδος vel ἰδέας ars dicit, quasi partes generis et rerum formas. Dehinc superiora, id est animalia et virgulta et gemmas et lapides, genera nuncupavit, ex quibus partes vel formæ nascuntur. Eadem tamen genera, species vel ideæ etiam nominari possunt, quod habent exclusius aliquid, id est usiam, ex qua oriri videntur et nasci. Ipsam vero usiam, supra quam nihil est, genus appellari voluerunt.

CAPUT II. — *De æquivocis et multivocis.*

His ita compositis, ea quæ mente concepta signari et demonstrari possunt, aggressurus Aristoteles, omisit illa interim quæ de verborum ratione tractantur, cum in linguæ usu provenerit, ut uno nomine res multæ, et multis nominibus res una nuncupetur. His rebus quas unum nomen complectitur, duo vocabula ars dedit, ut ex his alia homonyma, alia synonyma vocaret. Homonyma sunt, cum res quidem plures commune nomen accipiunt, interpretatione vero ejusdem rei separantur, ut homo pictus et verus. In hoc namque idem nomen est: verum si ad definitionem vel ad interpretationem hominis redeas, inveniuntur ista disparia. Cum enim dixeris, verum hominem animal esse quod risum capiat et vim rationis admittat; cum de picto idem non possis dicere, necessario inveniuntur esse disparia. Regulariter autem accipere debemus, omne nomen licet proprium, quod possit esse commune cum cæteris, homonymon vocari; ut Cicero, non unus, sed plures. Sed si omissio nomine signis potius demonstrare velis quis sit ille Cicero, quis alius, quis tertius; alia de alia signa narranda sunt, ut alium crassum dicas, alium tenuem; vel longus dicatur alius, alter brevis; candido colore quis, alter nigro. Hæc igitur quoniam inter se discrepant, solo sociata nomine, homonyma dicta sunt, vocabulo juncta, rei interpretatione discreta. Synonyma vero sunt, res quæ et nomine et sui interpretatione junguntur, ut est animal: id enim de homine, et equo, et de fera, et de avibus dici potest. Animal est quod cibum capiat, quod mortale sit, quod sensu moveatur. Nunc ad eas res, quæ singulæ multis nominibus signari solent, veniamus. Quanquam hanc partem Aristoteles, ut superior dictum est, prætermiserit, idcirco quod de his quæ significantur, non de his quæ significat, disserendum putavit. In his autem non rerum, sed nominum vertitur quæstio. Hæc divisa sunt similiter in partes duas, et alia πολυώνυμα, alia ἑτερόνυμα sunt. Polyonyma sunt, cum multa nomina unam rem significant, neque ulla de differentia nominum redditur ratio; ut ensis, mucro, gladius: hæc enim cur unam rem tot significant, nec discerni, nec definiri potest. Dehinc heteronyma a multis æque nominibus res singulas tenent. Verum in his habet rationem diversitas nominum, velut est homo terrenus mortalis: homo ab humanitate terrenus a terra, in qua cuncta gignuntur, mortalis a necessitate mortis. Claret igitur in his nominum originem quæri, in superioribus rerum, quamobrem his omissis, Aristoteles superiorum maluit movere tractatum. Ergo ad homonyma redeamus, quæ dividuntur in duas partes: aut enim fortuito fiunt aut hominum voluntate nascuntur. Fortuito fiunt enim, cum quodam casu simile quis alteri nomen accipit; voluntate, cum similitudo nominis ex industria imponentis affligitur. Horum autem quæ industria vel voluntate nascuntur, quatuor sunt genera, εἰκὼν, κατ' ἀναλογίαν, ἀφ' ἑνός, πρὸς ἕν: ut eadem latinus quoque sermo declaret, similitudo, proportio, ab uno, ad unum. Similitudo est, ut homo pictus et verus in sola similitudine copulantur. Proportio est quod κατ' ἀναλογίαν Græci vocant ut, quo pacto principium animalis cor dicimus, ita principium aquæ fontem dicimus: proportio enim sui similitudo nominis videtur adjuncta. Ab uno est, cum dicimus a medicina medi-

cinale ferramentum, medicinalis scientia, medicinalis usus, medicinale præceptum: ab uno in cuncta descendunt. Ad unum est, ut illa potio salubris est, ille medicus salubris est, ferramentum illud salubre. Hæc enim cuncta unum, id est salutem, videntur attingere.

CAPUT III. — *Quid Aristoteles agat in categoriis.*

Sed plerique movere assolent quæstionem, de quibus magis Aristoteles voluit inchoare tractatum. Primo de iis quæ sunt, secundo de iis quæ percipiuntur, tertio de iis quæ dicuntur. Primo sunt res omnes, quas natura peperit: secundo percipiuntur ea, quorum imagines animo videndo formamus et recondimus: tertio dicuntur illa, quibus ea, quæ sunt impressa animo, efferuntur. Id namque quod quis concipit animo, lingua prosequente declarat. Sed ut Themistio nostræ ætatis erudito philosopho placet, de his Aristoteles tractare incipit, quæ percipiuntur, quæque ipse vocat græco nomine σημαίνόμενα sive φαντασίαι, id est, imagines rerum insidentes animo: verum cum de perceptis proposuerit disputare; et de iis quæ sunt, et de iis quæ dicuntur, necessario locuturus est. Percepta enim ex his oriuntur quæ sunt, quæ videndo percipimus: perceptorum autem deerit demonstratio, nisi eorum, quæ dicuntur, auxilio fuerint demonstrata. Ergo quanquam separatim postea ea quæ sunt, definiturus sit: mixtam tamen de tribus disputationem debemus accipere. Nam de perceptis qui loquitur, et originem rerum trahit, et præsidia orationis implorat. Superfluum igitur quæstionem movet, qui dicit scrutari oportere cur Aristoteles in principio suo homonyma lege vel dixerit, vel detexerit, si de his quæ percipiuntur fuerat tractaturus, cum liqueat non posse dici aliquid, nisi quod perceptum fuerit, nec percipi aliquid posse, nisi res fuerit de qua imago intendo capiatur.

CAPUT IV. — *De denominativis. Differunt paronyma ab homonymis.*

His ergo cognitis, paronyma videamus, quæ sunt in homonymorum et synonymorum medio constituta, et quæ nec paronyma dici possunt, nisi in se habuerint utrorumque contractum, id est nisi et nomen homonymorum et negotium synonymorum videantur habere commune; ut a sapientia sapientem, vel medicum a medicina dicamus, eadem in medico quæ in medicina et actus similitudo videtur et nominis. Propterea recte paronymum dictum est, quod aliunde nomen acceperit. Verum ne eadem videantur paronyma et homonyma, quæ ab uno dicuntur, id est ὁμοῦ, hanc differentiam debemus agnoscere, quod ipsa paronyma inter se quidem propter similitudinem nominis homonyma sunt, illius tamen nominis paronyma dicuntur, unde nomen acceperunt, ut puta a sapientia dicamus hominem sapientem, sapiens consilium: inter se hæc homonyma sunt, ipsius vero sapientiæ paronyma. Observari tamen oportet, ut commutationem ultimæ syllabæ habeant: neque ita finiantur paronyma quemadmodum desinunt ea de quibus originem ducunt; ut medicina et medicus, medicina aliis litteris clauditur, aliis medicus. Hanc igitur differentiam nisi paronyma habuerint, et nisi cum synonymis negotio, cum homonymis nomine fuerint copulata, homonyma potius quam paronyma nominantur. Ut si a malitia vitiosum dicamus, negotio quidem cum synonymis convenit, sed ab homonymis discrepat nomine. Neque enim vitiosus et malitia similia sunt, quanquam eodem intellectu sentiantur. Quod si a malitia dicatur malus, recte utrumque convenit. In ultima vero syllaba non mutantur hoc modo, ut si dicamus a sapientia verba sapientia. Hic cum nulla commutata est syllaba, paronymi exclusa est nuncupatio. Unde constat hæc et his similia homonymis potius debere conjungi. Scire etiam debemus, verba aut simplicia esse, aut certe conjuncta. Conjuncta sunt, equus currit: simplicia, cum hæc separantur et dicuntur singula, ut equus, currit. Sed jam satis de his quæ significantur, dictum puto.



CAPUT V. — *Substantia et accidens*

Restat ut eorum quæ sunt, quo pacto Aristoteles tractaverit, enarremus. Sunt igitur illa quæ aut percipimus sensibus, aut mente et cogitatione colligimus. Sensibus tenemus quæ aut videndo, aut contrectando, aut audiendo, aut gustando, aut odorando cognoscimus. Mente, ut cum quis equum, aut hominem, aut quodlibet animal viderit; quanquam unum corpus esse respondeat, intelligit tamen multis partibus esse concretum. Siquidem alia pars sit capitis, alia pedum, cæterorumque membrorum, in ipso capite partes suas aures habeant, habeat propriam lingua. Ipsæ quoque partes singulæ multa in se habeant, quæ dividi et separari possint: ut caro sit aliud, aliud corium, aliud venæ, aliud nervi, aliud capilli. Ergo hæc mente vel intellectu colligimus, ad quæ nostri sensus penetrare non possunt. Consideramus etiam illa, et animi intentione cognoscimus vel hominem, vel aliud animal, crescere, senescere, nunc stare, nunc movere gressus; modo angri curis, modo secunda mente conquiescere; sanitate alias frui, alias dolorem perpeti; ex nigro album, nigrum ex albo colore mutari; peritum ex imperito, doctum ex indocto; ex mansueto ferum, ex feroci mansuetum. Dum igitur iis quæ sunt, alia sensibus, alia mentibus colligantur, separare hæc propriis nominibus homines eruditi maluerunt: et id quod dignoscitur sensibus, jam dici οὐσιαν, illud autem quod animi tractatu colligitur, ac sæpe mutatur, συμβεβηχός, id est accidens, nominare voluerunt. Et quoniam in permanente usia ea quæ accidunt, inesse noscuntur, ipsam usiam ὑποκειμένον, id est, subjacens, et non in subjecto appellari voluerunt, illa vero quæ accidunt, ἐν ὑποκειμένῳ, id est in subjacenti, dixerunt. Sine dubio tamen illud oportet a nobis agnosci, ut potiore usiam accidentibus dicimus, sic potius ἀτομον, vel καθέκαστον, id est hunc hominem vel hunc leonem, iis quæ fuerint communia, vel communi vocata animalium nomine, judicare.

CAPUT VI. — *Quæ dicuntur de subjecto, quæ sunt in subjecto.*

Rursus ad ea quæ significantur, Aristoteles regressus est, quot modis ea quæ sunt significari assolent, monstraturus. Ex his igitur quæ sunt, alia de subjecto significantur, et in subjecto non sunt, ut homo. De subjecto quidem significatur, aliquo homine; neque enim homo dici posset, nisi esset aliquis de quo diceretur. In subjecto autem nullo est, cum ipse sit usia, quam superius diximus in nullo unquam subjacenti esse; quippe cum sit cæteris ipsa subjecta. Alia vero nec in subjecto sunt, nec de subjecto significantur, ut est Cicero; nec in subjecto est, quia usia est; nec de subjecto aliquo significatur, siquidem cum a se ortum vocabulum teneat, neque intelligi possit aliunde. Dicta sunt duo quæ ad usiam pertinent, quo pacto significantur, quorum superius κοινόν, id est commune; inferius, καθέκαστον, id est singulare dicitur. Nunc ea quæ sunt ex accidentibus, quoniam modo significantur dicendum est. Sunt igitur ex iis alia quæ et in subjecto sunt, et significantur de subjecto, ut est scientia vel color. Sunt enim in subjecto aliquo, id est in animo vel corpore: neque enim scientia potest esse, nisi sit anima subjecta qua contineatur; nec significari scientia posset, nisi de subjecta grammatica: vel color quisquam posset esse, nisi in subjecto corpore; nec significari posset, nisi de subjecto aliquo colore: ita fit ut et in subjecto sint, et de subjecto significantur. Alia vero sunt ex iisdem συμβεβηχόσι, id est accidentibus, quæ in subjecto quidem sunt, sed de subjecto minime significantur, ut est, hæc grammatica, vel hic albus color. In subjecto quidem sunt, animo vel corpore, de subjecto autem non significantur. Neque enim his aliunde vocabulum pendet, sed suo et speciali nomine designantur. In iis quoque accidens superius, commune nominamus, inferius ubi jam certa res est pro parte, hoc est καθέκαστον dicitur. Verum ne aliquid non apertum præterire Aristoteles existimaretur, et oriundis quæstionibus occasionem daret de eo quod

in subjecto est, voluit tractare diligentius, ac definire quid esset, ut calumniantibus aditus clauderetur. Definit ergo in subjecto esse quod in altero est aliquo, non ut pars sit quædam, neque sine eo in quo est potest unquam esse. Hæc definitio addita propterea est, quia dici posset digitum vel pedem in subjecto esse, id est in corpore; hoc igitur exclusit cauta definitione, dicendo id esse in subjecto, quod ejus pars non sit in quo est: digitum autem vel pedem partem esse corporis constat. Dehinc a calumniantibus dici posset, aquam vel vinum in quodam caso quasi in subjecto esse: sed id oriri docta definitione non sinit, addens id esse in subjecto, quod sine subjecto esse non possit: vinum autem, vel aquam, sine caso in quo fuerit posse alibi esse, non potest dubitari. Interea hoc loco debemus advertere qua arte definitio disponatur. Primum enim hanc per immensum tendi oportet, incipientem a genere; dehinc paulatim per partes currendo pervenire debet, ad id in quo solum est id quod definitur. Ut ii qui signa formant, primum immensum subdeligunt lapidem, dehinc paulatim minuendo et abscindendo superflua, ad formandos vultus et membra perveniunt. Sic definitio a genere incipiens depulsa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonstrandæ rei cubile tendit accedere. Sed ad propositum revertamur: tractatus enim erat de iis quæ sunt quemadmodum significantur, de quibus quoniam jam multa dicta sunt, illud regulariter nobis tenendum est, omnia καθέκαστον, vel ἐνἀριθμῳ, vel ἀτομα, vel αἰσθητά, id est hunc hominem, vel hunc equum, vel hanc arborem de subjecto significari non posse. Sin vero hæc eadem de accidentibus fuerint, id est hic color, hæc disciplina, in subjecto esse posse: quemadmodum enim superius demonstratum est, omne accidens sine subjecto esse non potest. Docti igitur sumus quo pacto, vel subjectum, vel in subjecto possimus agnoscere.

CAPUT VII. — *Quid genus, quid species.*

Dehinc nos Aristoteles docet, et illa quæ de subjecto significantur, qua ratione noscamus. In his autem speciale illud est, quod eadem in ipso subjecto inveniuntur, quæ sunt in eo quod de subjecto significatur: ut enim animal de subjecto significatur, homine vel equo, sicut homo de subjecto aliquo homine significatur necesse est: Cicero autem et homo est et animal. Quæcumque igitur prædicari de animali possunt, eadem et de homine et Cicerone prædicantur. Quapropter ea quæ in eo, quod de subjecto significatur, inveniuntur, et in eo quod subjectum est, necesse est inveniri: ut si dicas, animal est quod cibum capiat, quod mortale sit, quod sensu moveatur; animal autem de subjecto significatur homine: eadem tamen et de homine dici necesse est, quæ de animali dicta sunt. Deinde quæ de homine dicta fuerint, eadem et de Socrate. Certum autem est Socratem subjectum esse homini, hominem autem animali. Quidquid igitur in iis, quæ de subjecto significantur, dictum fuerit, idem et de iis, quæ subjecta dicimus prædicabitur. Regulariter autem illa de subjecto significantur, quæ per seipsa cognosci non possunt, ut animal intelligi non potest nisi de subjecto homine, sic homo adverti non potest nisi de subjecto aliquo homine dignoscatur. Nunc quoniam de categoriarum omnium generibus et speciebus et differentiis locuturus est, inspiciendum prius videtur, quid sit genus, quid species, quid differentia. Genus igitur est quod secundum multa et differentia, quid sit specie ostenditur atque significatur, ut est usia. Omnino quidem usiam dicimus: sed hoc commune nomen specie separatur, cum dicimus animal vel lapidem. Ita fit ut uno quasi conjuncta vocabulo, specie separantur. Differentia vero est, quæ secundum multa et differentia, non quid sit, sed quale fit specie prædicatur, ut est animal gressutum, volatile, aquaticum, bipes, quadrupes. Genus ergo et differentia specie significantur. Sed genus quid sit, differentia autem qualis sit specie possunt agnosci. Species autem est quam quidam et formam vocant, quæ secundum multa et differentia, quid sit numero prædicatur atque co-



gnoscitur, ut est homo. Hoc nomen homines cunctos complectitur, et videtur id facere quod species, quæ de aliquo homine prædicatur, qui numerum in seipso contineat; ut est, hic primus, ille secundus, iste tertius. Ut tamen hæc tria uno exemplo monstremus; Genus est, animal: differentia, bipes, quadrupes: species, homo, equus. Sed ut genus nullum est, quod non habeat differentiam; sic nec differentiam intelligere debemus, quæ species non habebit; ut nigrum et album non habent differentiam, propterea quod ex se species non emittunt. Quæ enim alia species inveniri potest albi vel nigri? Quoniam igitur quid sit genus, quid differentia, quid species, separatim est: ad Aristotelis jam dicta veniamus. Hoc enim docente cognovimus, eorum generum quæ inter se diversa sunt, nec differentias easdem posse esse, nec species. Alia enim et species et differentia est, dum quæritur quid sit, alia dum quale sit, alia dum quantum sit: ut si velis animalis dicere differentiam, dicas volatile, bipes, gressutum; si velis speciem, dicas hominem vel avem vel equum. Nunquidnam et de disciplina eadem differentia vel species dici potest, propterea quod genera diversa sunt, animal et disciplina? Animal enim categoria est usiæ, disciplina categoria qualitatis. Denique illa genera, quæ alterna sibi societate (ἐπ' ἀλλήλα) conjuncta sunt, easdem differentias et easdem species habent, ut est usiæ, cujus species est animal. Sed idem animal genus est cæteris, ideoque et species et genus dicitur. Quoniam hæc igitur duo genera invicem se tenent, quæ Aristoteles quoque ἐπ' ἀλλήλα nominavit, easdem differentias habent, ut si dicas usian esse animal mortale, bipes, risus capax; eadem et de animali potes dicere, animal est homo mortalis, bipes, risus capax, eadem et de homine potes dicere. Certum est ergo invicem sibi conjunctis generibus, easdem et differentias et species inveniri. In diversis autem generibus hoc provenire non posse.

CAPUT VIII. — *De prædicamentis in generali.*

Rursus Aristoteles ad ea, quæ dicuntur, revertitur, quanquam superius dixerimus alterum sine altero tractari non posse. Nam et qui dicit aliquid, de eo dicit quod est; et id quod est, non potest ab altero intelligi, nisi dicatur. Eorum ergo quæ nulla sui copulatione dicuntur, quodcumque singulare dictum fuerit, aut usian significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut jacere, aut facere, aut pati, aut ubi, aut quando, aut habere. Hæc sunt categoriæ decem, quarum prima usia est, scilicet quæ novem cæteras sustinet. Reliquæ vero novem, συμβεβηκότα, id est accidentia sunt. Ex quibus novem, sunt alia in ipsa usia, alia extra usian, alia intra et extra. Qualitas, quantitas, et jacere in ipsa usia sunt: mox enim ut usian vel hominem vel equum dixerimus, advertamus necesse est bipedalem, quadrupedalem; aut album, aut nigrum; aut stantem, aut jacentem. Hæc in ipsa usia sunt, et sine hac ipsa esse non possunt. Alia sunt extra usian, ubi, quando, habere: et locus ad usian non pertinet, et tempus, et vestiri et armari; sed ab usia separata sunt. Alia sunt communia, id est et intra et extra usian: ad aliquid, et facere, et pati: ad aliquid, ut majus et minus: utraque enim dici non possunt, nisi conjuncto altero quo majus sit vel minus: propterea ergo unum in se habent, aliud extra se. Item facere, extra est et intra, ut cædere quisque non potest dici, nisi alterum cædat; vel legere, nisi ipse legens aliud sit, aliud quod legit: ita ergo et in usia hæc est, et extra usian. Pati similiter; cædi enim vel uri nullus potest, nisi ab altero patiat: propterea hæc quoque et in usia est et extra usian. Hæc igitur cum singularia sunt, nihil affirmant; copulata vero faciunt ex se aliquem sermonem, vel προστιχτικόν, vel εὐχτικόν, vel ἐρωτηματικόν, vel κλητικόν: ut hæc quoque latino ore monstremus, vel imperatum, vel optatum, interrogatum, vel vocatum. Hæc quoque sermonis quasi quatuor genera suspensa sunt atque simplicia interim, ideoque semiplena. Neque enim jam intelligitur vel quid imperativum sit, vel quid optativum, vel quid interro-

gativum, vel quid vocativum, nisi accesserit genus ἀποφαντικόν, id est pronuntiativum, quod habeat in se quamdam confirmandi sententiam, quæ aliud aut addat aut demat: quod Aristoteles κατάφασις et ἀπόφασις dixit, ut est, cælum hoc volubile est, cælum hoc non est volubile. Ipsum denique pronuntiativum, quod diximus ἀποφαντικόν, aut falsum est aut verum. Quamobrem omissis illis quatuor quæ magis ad grammaticos vel oratores pertinent, hujus apophantici, quod ad philosophos attingit, Aristoteles habuit mentionem.

CAPUT IX. — *De usia sive substantia. Usia proprie. Secundæ usiæ quæ dicantur.*

Expositis igitur omnibus quæ disputaturis necessaria videbantur, singulas categorias oportuit definiri. Sed usia quoniam secundum artem definiri non poterat, quæ præcipit, ut definitio quo possit tendi latius, a genere sumat exordium; ipsa autem usia genus non habet, cum omnia ipsa sustineat: per partes eam voluit definire, ut quid sit non solum ejus definitione, verum partium quoque cognitione noscatur. Est igitur usia proprie et principaliter dicta, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto significatur, ut est hic homo, vel hic equus. Secundæ dicuntur usiæ, genus et species, id est animal et homo. Has ergo secundas substantias nominari dicit, propterea quod illa sit potior, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto prædicatur. Secundæ autem substantiæ idcirco dictæ sunt genus et species, quod solæ indicent primam. Ut si quis nolit vel nesciat dicere Socratem, dicat animal vel hominem, id est genus vel speciem, his vero dictis quid sit Socrates agnoscitur; aliud autem si dicat, vel currit, vel ambulat, nihil possit agnosci. Manifestum est autem ea quæ de subjecto significantur, cum iis, quæ subjectum sunt, et nomen et rationem nominis habere communem; ut homo et de subjecto aliquo significatur homine, sed non solum nomen, verum etiam rationem eandem in subjecto invenies, quam in eo quod de subjecto significatur poteris invenire. Ipsarum deinde secundarum usiarum potior est species genere: magis enim proxima est species primæ usiæ quam genus. Si enim quis velit ostendere quid sit prima usia, facilius monstrabit si dixerit speciem, quam si dixerit genus. Ut si quis Socratem volens dicere omisso ejus nomine, magis eum significet si hominem dixerit, quam si animal. Animal enim et equum et aquilam possumus agnoscere. Deinde ut primæ substantiæ subjectæ sunt omnibus, et his omnia sustententur; ita etiam species generi, atque ideo magis usia ista, quam cætera. Videndum est etiam, ne quam speciem solam putamus, eadem sit et genus: ut si quis animal dixerit, dixit et genus. Deinde si dicat hominem, equum, piscem, avem, pronuntiemusne omnia solas species esse? cum enim sint homo et equus, species manifestæ sunt; piscis autem et avis, genera et species (non enim una forma est avium et piscium): propterea ergo et species et genera nominantur. Illæ autem quæ solum species sunt, sicuti est homo, equus, aquila, taurus, æqua virtute usiæ sunt. Ut enim homo usia est, sic et equus, et aquila, et taurus in suo genere. Decursis igitur partibus per quas usia definita est, et alio modo voluit eam definire, si ostenderet ea quæ necesse est in ea naturaliter inveniri. Ea enim quæ insunt cuicunque, aut in solo et in omni, aut in solo et non in omni, aut omni et non in solo, aut nec in solo nec in omni. Hæc Græci vocant, ἐν μόνῳ καὶ ἐν παντί, ἐν μόνῳ καὶ οὐκ ἐν παντί, ἐν παντί καὶ οὐκ ἐν μόνῳ, οὐκ ἐν μόνῳ καὶ οὐκ ἐν παντί. Ut si hominem definire volens, dicat risus pacem esse; hoc et in solo est, et in omni. Solus namque homo ridet, et cunctis ridere naturale est. Secundo, in solo et non in omni, ut si hominem definiens, pacem disciplinæ dicat esse; hoc in solo quidem homine inveniri potest, non tamen in omni: neque enim omnes disciplinas aliquas didicerunt. Tertio, in omni et non in solo, ut si quis hominem definiens, dicat id hominem esse quod ambulat, et quod cibum capit; hoc in omni quidem est homine, non tamen in



solo : nam et pecudes cibum capiunt, et feræ currunt. Quarto, nec in solo, nec in omni, ut si quis in hominis definitione id esse hominem dicat, quod album est; nec in solo, nec in omni est. Neque enim aut homo solus candidus invenitur, et non bos aut equus, aut omnis homo albus est. Duo ergo sunt, quæ ad investigandum aliquam viam monstrant et duo, quæ certum aliquid significare non possunt. Id quod est nec in solo, nec in omni, nihil ex hoc possumus agnoscere; siquidem generale est. Alterum in omni, non in solo, non habet differentiam; proptereaque similiter respiciendum est. Duo sunt reliqua; quæ certis signis, id in quo fuerint, poterunt demonstrare, id est in solo et in omni. Dubitari enim non potest, quin cum inveniatis, pronuntietis quid sit id, in quo inesse cognoscitur. Alterum est in solo, non in omni, non quidem virtutis ejusdem, verumtamen quod ad definiendam rem necessario quærendum sit, si primum non potuerit inveniri. Nunc igitur ut designet usiam, ab in omni, non in solo argumentari incipit, cum demonstrat esse secundas usias, quas idcirco secundas dicit esse, quia id in his inveniri poterit, quod in primis. Denique dicit commune hoc esse cuilibet usiæ, ut in subjecto non sit. Cum igitur nec genus nec species in subjecto inveniatur, manifestum est hæc secundas usias debere nominari. Deinde hinc quoque ostendit genus et speciem secundas usias esse, quod omnia quæ sunt in subjecto, cum iis quæ sibi subjecta sunt, interdum solum nomen, non tamen et rationem possunt habere communem. Genus autem et species cum subjectis, id est cum aliquo homine certam et rationem habent nominis societatem. Monstratis ergo secundis usiis, id est genere et specie, differentia sola restabat, quæ consideranti diligentius, quasi accidens esse videtur. Siquidem bipes vel mortale vel rationale cum animal dicitur, non quid sit, sed quale sit potius demonstratur, ideoque videtur vim tenere qualitatis. Verum quando a genere prima oritur differentia, et sic sequitur species, in accidentibus non debet numerari. Atque ideo Aristoteles eam significatione quidem mixtam dixit, virtute autem inter usias habendam decrevit: eadem enim in hac inveniri pronuntiat, quæ et in cæteris substantiis reperiuntur; id est cum subjecto posse, et nomen et rationem habere consimilem. Cum enim gressutum hominem dicimus, in subjecto idem et vocabulum, et ejus rationem eadem possumus invenire: Socrates enim et homo est et gressutus. Similiter prosequitur cætera argumentando variata, demonstrans quædam inesse usiæ quæ sola et omnis habeat, quædam quæ sola et non omnis, quædam quæ omnis et non sola, et quædam nec sola nec omnis. Quæ quoniam in Aristotele ipso manifesta sunt, superfluum visum est aperire: maxime cum hic sermo non transferre omnia quæ a Philosopho sunt scripta, decreverit, sed ea planius enarrare quæ rudibus videbantur obscura.

CAPUT X. — *De quantitate. Quanto nihil est contrarium. Contraria quæ dicantur.*

Descripta igitur usia, quia definiri non potuit propter eas causas quas superius memoravi, accidentium definitionem necessarius ordo poscebat. Quorum primum est, quantum, nec sine causa: nam cum aliquid viderimus, id necesse est, quantum sit, æstimare. Quantum vero sit, inveniri non potest, nisi fuerit adhibita mensura collectum. Si ergo omissa latitudine, solam quis longitudinem voluerit emetiri, longitudo sine latitudine mensuræ subjecta  $\gamma\rho\alpha\mu\mu\eta$  dicitur. Non quod sit sit longitudo aliqua quæ careat latitudine, sed quod solam quis metiens longitudinem  $\gamma\rho\alpha\mu\mu\eta$  metiri dicitur. Emensa vero cum longitudine latitudo, dicitur  $\epsilon\pi\iota\phi\alpha\upsilon\iota\alpha$ . Sin autem et altitudo fuerit mensuræ sociata, corpus cuncta perficiunt. Quod tamen non ita accipimus, quemadmodum solemus accipere naturale corpus, nec ad usiam reverti videamur. Deinde metimur et locum, in quo aliquid constitutum est. Tempus quoque mensuræ subjicitur: nam cum movetur aliquid, ipso motu necesse est et tem-

poris habere mensuram, cum dicimus primo, vel secundo, vel tertio anno pervenit, vel mense, vel die, vel hora, vel momento. Hoc modo igitur quantum sit quidque colligitur. Ipsius autem quantum aliud est cohærens, aliud separatum. Cohærens est gramme, epiphania, corpus, locus et tempus. In his enim singularum partium terminos non potest habere mensura. Simul namque ut gramme medio punctum figens, quasi certum mensuræ terminum dederis, utrarumque partium, quæ divisa gramme factæ sunt, fit terminus ille communis, ut incertum sit cui parti affixus terminus videatur: adeo pars utraque sibi cohæret atque conjuncta est. Epiphania quoque, similis de causa, connexa dicitur et cohærens. Denique si quis hanc dividere voluerit, in ejus medio grammen ponat necesse est: cum gramme hæc, quæ epiphaniam dividit, ex hac duas partes fecerit; ipsarum duarum partium ipsa gramme terminus incipit esse communis: sic enim sibi connexa est, ut non appareat cui terminus videatur infixus. Similiter corpus si quis secare voluerit, dividendi corporis terminus gramme vel epiphania sit necesse est; ipsa enim præcisio, quam gramme facit cum epiphania, necesse est in corpus descendat: atque ideo incertum est, sive gramme, sive epiphania, cui parti terminum dederint, cum diviso corpore in utraque parte epiphaniam necesse est inveniri. Ideoque corpus cohærens est in quo faciendarum duarum partium communis est terminus. Temporis quoque similis ratio est, cui dividendo si velimus terminum dare, dicamus, modo. Modo autem inter præteritum et futurum tempus ita confusum est, ut incertum sit quo debeat separari. Locus autem quomodo corpus quodcumque circumdat, et corporis partibus occupatur: ita communi termino partitur, quemadmodum partitur et corpus: ac propterea eum necesse est cohærentem ut cætera nominari. Separata vero sunt, numerus et oratio. Quis enim non advertat propriis terminis unum separatum esse a duobus, duos a tribus? Et in oratione singulæ syllabæ separatæ sunt: natura enim et numero segregantur, cum alteram brevem, alteram longam, et unam vel duas dicimus. Nimirum apparet hæc, quæ diximus, et ad quantum pertinere, et separata oportere nominari. Horum quantum est et alia differentia: nam ex his alia sunt, quorum partes positionem habent, ex qua possit agnosci quæ pars cuique jungatur: alia vero sunt quorum partes positionem habere non possunt. Positionem autem dico, cum videmus cujusque rei dexteram, lævam, superiora, inferiora, ante, post, longe, juxta. Sunt ergo quorum partes sibi manifesta positione junguntur hæc, gramme, epiphania, corpus, locus. Sive enim in gramme, sive in epiphania, sive in quolibet horum positus terminus partes feceris, quanquam sibi cohærentes videantur atque conjunctæ, tamen adverti corporaliter licet, quæ pars ubi sit, cui vicina sit, cuique jungatur. Sunt vero quorum partes positionem non habent, hæc, tempus, numerus, oratio. Unum enim cum dicimus, ipsum numerum solum dicentes, non aliquid corporaliter numerantes, non videmus vel ejus dextram vel sinistram: quippe cum in verbo sit tantum in sono, et in nullo sit corpore, positionem suarum partium non potest demonstrare, nisi forte ordinem dixerimus, quod unum sequuntur duo: positio autem in his duntaxat, non potest inveniri. Similiter et in tempore atque sermone, maxime cum hæc mox videantur labi, cum dixeris, et tempus currit; et sermo cum nondum dictus fuerit, non est; et cum dictus fuerit, non apparet. Manifestum est igitur hæc tria positionem diversarum partium non habere. Proprie igitur hæc sola, quæ dicta sunt quanta nominantur: si qua vero præter hæc inveniri potuerint, debent pro accidentibus poni. Sunt enim quædam, quæ accidentibus ipsis accidunt, ut si dicamus, multum album; propterea multum album dicitur, non quod ipsam album sit immensum, sed quod epiphania in qua album est, multa cernatur. Manifestum est igitur cum



multum album dicimus, ex epiphaniæ quantitate album, quod illi accidit, æstimari. Similiter cum longos actus dicimus, non quod actus immensi sint, longi dicuntur, sed ex temporis mensura, quo continentur actus actuum, quantitas æstimatur. Illud tamen speciale debemus agnoscere, quanto contrarium nihil esse. Epiphaniæ enim, sive grammæ, sive duobus cubitis, sive tribus contrarium est nihil. Nisi forte errore quodam multum et exiguum putemus esse contraria, non advertentes hæc in eorum numerum quæ ad aliquid dicuntur debere transferri. Nihil enim multum vel exiguum dicitur, nisi alteri fuerit comparatum. Cum enim dicimus montem brevem; grandiore esse alterum, cui comparatus est, indicamus. Vel cum dicimus grande milii granum; comparatione sui generis, in quo brevius aliquid invenitur, illud esse grandius monstramus. Ac propterea manifestum est, multum et exiguum, grande et breve, cum aliquo comparata sui vocabulum reperire. Nec in hoc solo errat, qui putat multum et exiguum quanto debere conjungi, verum etiam si existimet esse contraria; quod fieri penitus non potest. Nam si hæc quodam errore decepti contraria dicimus, fiet ut in una re uno atque eodem tempore contraria videantur incidere. Una enim res, et major a minore, et brevis a majore, uno atque eodem tempore poterit nominari: quod fieri nec rerum natura patitur, nec ratio ipsa permittit. Ac propterea eorum repellenda sententia est, qui hæc credunt esse contraria. Nec magis in quanto contrarietas, quam in circulo convideri potest. Veteres enim supra et infra propter cœli terræque distantiam contraria sibi esse dixerunt, unde quaque versum asserentes terram subter esse, cœlum super. Contemplantibus enim nobis naturam rerum, terra, quæ videtur in medio, ubique subter est: nam et antipodes nostri, qui nobis dicuntur figere adversa vestigia, cœlum super se habent. Claret igitur semper terram in inferioribus constitutam. Deinde illa quoque a physicis jungitur ratio, quod propterea ex diversitate locorum terra cœlo contraria est, id est illud semper sursum, hæc deorsum, quod omnia, quæ pondere gravia sunt, naturaliter feruntur ad terram; ad cœlum vero levare necesse est, quæ videntur esse leviora. Hinc igitur cœlum terramque contraria sibi esse dixerunt; quod hanc deorsum, illud vero superius naturalis necessitas collocavit. Ex hac igitur ratione videtur contrariorum omnium definitio constituta. Dicuntur enim illa esse contraria, quæ cum sint ex uno eodemque genere, multo tamen a se spatio separantur. Sed hæc qui asserunt, habent advertere ad aliquid dictis potius debere conjungi. Siquidem supra dici non potest, nisi et infra fuerit designatum. Quod si calumniari quibusdamlibet, supra et infra in categoria magis, quæ ubi dicitur, videri potest: cum enim supra et infra dicimus, ubi aliquid geratur, agnoscitur. Sed hæc, ut diximus, garrientium sunt: nos vero in quanto admitti contrarium credere non debemus. Advertere interea licet hujus occasione tractatus, aliud esse super et subter naturale; aliud vero quod circa nos. Naturale enim non potest immutari, nostrum autem migratione hominum commutatur: ut si quis cum in inferioribus fuerit, ad superiora conscendat, aut e superioribus velit ad inferiora descendere; omnia illi, quæ ante fuerant commutantur, cum descendenti, inferiora quæ fuerant, superiora cernantur. Illud quoque quanto inest, in omni quidem, non tamen in solo, ut non recipiat magis et minus, quod græce dictum est *μᾶλλον καὶ ἧττον*. Bipedale enim cum dicimus, non possumus aliud bipedale magis vel minus dicere. Simili enim modo bipedale secundum est, quemadmodum et primum. Quod si aliud alio amplius fuerit, jam non bipedalis, sed alterius mensuræ suscipit nomen. Nec numerus magis aut minus sustinet, siquidem tres magis aut minus tres nominare dementia est. Et tempus non potest esse tempore magis aut minus. Claret igitur his expositis magis et minus in quanto inveniri non posse. Proprium vero quanti, et

quod in omni et in solo invenitur, illud est, ut omnia ejus paria aut imparia dicantur. Ut numerus par et impar; non æqualis numerus, si par est; aut si impar, non inæqualis dicatur. Similiterque ejus omnia non æqualia, aut inæqualia, sed paria aut imparia nuncupantur. Cætera vero quæ ad quantum non pertinent, similia sibi potius quam æqualia nominamus: ut album albo simile, aut non simile dicatur. Hoc enim verbum specialiter iis quæ in quanto sunt, videtur infixum.

CAPUT XI. — *Ad aliquid. Ad aliquid quando dicitur. Opposita.*

Categoriarum tertia est quæ latine ad aliquid, græce *πρός τι* censetur. Et quidem hanc tertiam non ordo, sed tractatus necessitas fecit: nam post quantum quale sequebatur. Verum quoniam in fine quanti, quædam ejusdem generis ad aliquid videbantur posse transferri; hanc categoriam, quæ quarta fuerat, necessario tertiam voluit ordinare, ut discussis atque monstratis omnibus, quæ cuique convenirent, frequens orta confusio solveretur. Incipit autem non a definitionibus suis Aristoteles, sed ab eorum terminis, qui ante se ad aliquid perperam definire voluerunt. Ita tamen hæc debemus audire, quasi tractatui necessaria. Astute enim et dat illis auxilium philosophus, et medelam male positis terminis quærit, postea suæ prolatione sententiæ omnia, quæ improprie definita sunt, repulsurus *περὶ τοῦ πρὸς τι*. Ad aliquid ergo categoriam vocamus eam, quæ id quod est dicitur ex altero, sine cujus societate esse non possit, et cujus vis omnis ex alterius conjunctione descendit: ut duplum simpli dicitur duplum, majus minoris dicitur majus, simile simili dicitur simile. Claret igitur ad aliquid non sua vi, sed alterius conjunctione consistere. Eodem modo accipienda sunt cætera quæ ejusdem categoriæ esse noscuntur, ut est habitus, affectio, disciplina, positio, sensus. Hæc Aristoteles, *ἔξιν, διάθεσιν, ἐπιστήμην, θέσιν, αἰσθησιν*, nominavit. Et hæc namque pendent ex altero. Siquidem habitus alicujus rei habitus dicitur, et affectio alicujus ad aliquid affectio, et scientia et positio et sensus simili ratione noscuntur. Non nos autem perturbet, quod quædam hujus categoriæ esse narrantur, quæ et qualitati videntur esse conjuncta. Habitus enim et affectio et scientia et cætera quæ cum his dicta sunt, qualitati videntur maxime convenire. Sed differentiam debemus advertere, qua hæc duæ categoriæ, id est qualitas, et ad aliquid, sive *πρός τι καὶ ποιότης*, a se invicem separantur. Quoties enim scientia cujuslibet rei quæ sit scibilis, scientia dicitur, et sensus rei ejus, quæ sit sensibilis, sensus dicitur; tunc ad aliquid debemus accipere: at cum scientia aut disciplina non rei cujuslibet, sed hominis dicitur, qualitatem debemus agnoscere. Hæc est interim differentia, licet si proprie hanc categoriam, quæ ad aliquid dicitur, volumus definire, ut a cæteris separetur (in omnes enim videtur incurrere); alio modo eam definire debemus, ne semper parum considerantibus error oriatur. Tunc ergo et vere et proprie ad aliquid dicitur, cum sub uno ortu atque occasu, et id quod jungitur, et id cui jungitur, invenitur: ut puta servus et dominus, utrumque vel simul est, vel simul non est. Etenim cum dominum dixeris, necessario existet et servus; cum vero dominum tuleris, nec servus apparet. Similiter duplum et simplum, alterutrum se vel perimunt vel ostendunt: apparente enim duplo, nascitur simplum; duplo pereunte, nec simplum poterit permanere. Similiterque si simplum non sit, nec duplum est; at si simplum fuerit, et duplum necessario apparebit. Specialiter tamen ac regulariter, ut hæc categoria manifestius dignoscatur, hæc via est, qua debemus advertere, non recte dici ad aliquid, nisi cum *καθέκαστον πρὸς καθέκαστον ἀναφέρεται*, hoc est singulare ad singulare refertur. Si quidem cum dicimus duplum, sine dubio non generaliter, sed specialiter hoc duplum dicimus, et hujus simpli duplum dicimus. Ac propterea tunc vere ad aliquid categoria est, quoties, verbi gratia,



Socratem Chrysippo dicimus esse vultu consimilem. Cæterum quo pacto vel quis, vel cui sit similis demonstrabimus, nisi et quis similis sit, et cui sit similis personaliter indicemus? Sed sunt quidam qui huic definitioni velint movere superfluum quæstionem, asserentes inveniri posse ad aliquid dictum quod ante sit, et postea nascatur quod de ipso debeat nuncupari; ut jam videantur hæc duo nec ortu nec occasu sibi esse conjuncta: ac dant exempla scibilis et scientiæ, asserentes ante scibile fuisse, et post ejus scientiam consecutam. Verbi gratia apud geometricos ante γράμματι, vel circulus fuit, sed eorum scientia postea a sapientibus comprehensa est: proptereaque ante fuisse scibile, in quo possit scientia reperiri. Hoc argumento igitur monstrant multa esse hujus categoriæ, quibus non et ortus et occasus videatur esse communis. Et sensibilis enim sensusque exemplum simili ratione constare contendunt: siquidem sensibilia ante fuerint. Elementa enim quibus omne corpus constat, ante fuerunt, quam corpus ex his aliquid nasceretur, in quo sensus existeret. His igitur argumentis ostendunt definitionem categoriæ, quæ ad aliquid dicitur, non recte esse defixam. Hæc solent parum diligenter naturam rerum intuentes astruere. Omnia enim quæ sunt, aut naturali potentia dicuntur esse aut operatione faciendi, quas Græci δυνάμιν καὶ ἐνέργειαν vocant. Quas si quis separare voluerit, nec ulla societate confundere intelliget ad aliquid dictum non posse esse sine altero, cujus esse dicitur. Scibili enim γράμματι, sive circulo, in ipso ortu naturæ scientia sociata est. Simul namque ut scibile esse cœpit, habuit scientiam sui, sed necdum ἐνέργεια, id est operatione monstrata est. Non ergo tunc cœpit esse scientia ejus, quando cœpit operari, sed cum ipso scibili orta est, operatio postea est consecuta. Discernere enim nos oportet operationis exordium: tunc enim possumus advertere scientiam cum scibili esse procreatam, operationem vero ejus apparuisse postea indagacione prudentium. Quibus depulsis, optima definitio est ad aliquid relatorum, semper ea simul vel extinguere, vel nasci. Illud sane debemus memoria continere non omnia ad aliquid dicta iisdem casibus referri ad ea quibus junguntur; sed alia genitivo casui, alia dativo, pleraque ablativo copulari. Et genitivo quidem, ut servus domini, duplum simpli. Dativo, simile simili, par pari. Ablativo vero, scibile sensu scibile, scibile scientia scibile, et cætera hujusmodi, quæ variis casibus alterius societate nectuntur. Inest autem huic categoriæ et soli et omni, ut inter conjuncta duo, quæ ex se pendeant, sit alterna conversio, quæ græce dicitur ἀντιστροφή. Ut duplum simpli dicitur, et simplum dupli, et servus domini, et dominus servi. Apparet ergo hæc copulata vicaria in semet replicatione converti, si tamen scienter et prudenter ista fiat conversio. Nam si imperite hæc vocabula convertantur, oritur magna confusio: ut si quis imperite dixerit, avis pennam, stulta conversio est. Non enim penna omnis avis est: si quidem sunt quædam pennæ, quæ non sunt avium, ut cicadarum, muscarum, cæterorumque animalium, quæ similiter natura formavit. Quod si quis pennam pennati pennam dixerit, quasi rata conversio est. Hoc loco libitum est, quasdam tenebras, quæ emergere ex categoriarum similitudine assolent, aperire. Siquidem cum dicimus pennam pennati, et caput capitati, videmur usiæ partes in accidentibus ponere. Penna enim sine dubio pars usiæ est, vel caput vel manus, quæ si ad aliquid referantur, inter usiæ et ad aliquid videbitur nulla esse discretio. Ut igitur amoveatur universa confusio, advertere nos oportet quo pacto, et vere et proprie ad aliquid definitum sit. Ita enim ejus definitio se habet, ut dicatur ad aliquid, cujus id quod est pendet ex altero, cuique necesse sit singulariter, id est καθέκαστον, vicaria in semet mutatione converti. Hoc quis considerato, reperiet, nec pennati pennam, nec capitati caput recte posse ad aliquid nominari: non enim ut pennati pennam dicimus, sic possumus dicere pennæ

pennatum, vel capitis capitatum: id namque qui dixerit, irridebitur. Esse enim pennato, non ex penna descendit; neque penna ex pennato constat. Similiterque capitatum non constat ex capite, neque caput ex capitato videtur consistere. At quod vere ad aliquid dicitur converti per vices potest, ut superius diximus, dominus servi dominus, et servus domini servus: et rursus subtracto servo dominus non est, remoto domino nec servus apparet. Pennatum vero esse poterit, etiam penna pereunte; et rursus penna, pereunte pennato, potest esse. Considerata ergo definitione hujus categoriæ, poterit etiam confusionis et similitudine exortæ discretio reperiri. Eodem pacto possumus hanc categoriam et ab oppositorum similitudine separare. Nam et opposita ἀντικειμενα Aristoteles vocat, quamdam hujus categoriæ similitudinem reddunt: siquidem calidum et frigidum videntur sibi oppositionis societate conjuncta: sed calidum non frigidum calidum, sed frigidum oppositum dicimus; et justum non injustum justum, sed injusto contrarium nominamus. Aristoteles quidem, ut in principio hujus categoriæ diximus, multa exempla proponit, quæ ad hanc non sub certa forma pertinere videantur, volens de consequentibus reprehendere vitia cæterorum, qui hanc secus definire voluerunt. Denique et virtutem malitiæ et scientiæ ignorantiam, quasi ad aliquid posuit, eaque dixit posse recipere contrarium, non quo ita res postulet, sed ut indocte disserentium vitia posset ostendere. Hæc namque, ut superius explicavimus, opposita potius quam ad aliquid dicta judicanda sunt. Mihi vero, ut et ipsi Aristoteli placet, magis et minus hæc categoria, non omnis quidem, nec sola videtur posse suscipere. Simile enim cuilibet, et magis simile, et minus simile possumus dicere. Sed hoc non in omnibus, ut dixi, quæ sunt ad aliquid poterit inveniri. Namque nec magis pater, nec minus pater potest dici; nec minus filius, aut magis filius; nec minus duplum, aut magis duplum. Non nos autem fallat, ut putemus ad aliquid esse quoties, verbi gratia, dicimus, cujus equus, vel cujus lignum, vel cujus fundus: hæc enim dominum, vel possidentis personam monstrantia, non ad aliquid dicta censenda sunt. De qua categoria quantum potuimus, explanavimus: licet tanta huic cum cæteris videatur esse permixtio, ut ipse quoque Aristoteles hujus discretionem haud facile repererit, cujus etiam longa ac diuturna non sit indecens retractatio.

CAPUT XII. — De qualitate. Species qualitatis quatuor. *Habitus. Affectio. Potentia naturalis. Passivæ qualitates.*

Nunc de qualitate tractemus, secundum quam ea quæ sunt, qualia nuncupantur. Multi autem quærent quid sit qualitas, et quid quale, quorum facilis separatio est. Qualitatem namque dicimus dulcedinem, austeritatem, albedinem, nigredinem. Quale vero intelligitur, quoties album aliquid, vel dulce, vel austerum, vel nigrum dicimus. Licet Aristoteles indifferenter et pro qualitate quale posuerit, et qualitatem pro quali, proptereaque etiam nos eundem sententiæ similia senserimus. Hanc autem categoriam propterea cæteris difficiliorem volunt, quia facilius quam cæteræ in omnes videtur incurrere: ut puta in usiæ invenitur, cum dicimus, homo, grammaticus; in quanto, alba vel nigra epiphania; in ad aliquid, prudens pater, optimus filius; in facere, dure saltat; in pati, fert fortiter vulnera; in loco, obscurus locus; in tempore, calidus mensis, aut frigidus; in jacere, pronus aut supinus jacet; in habere, decenter armatus. Erit igitur non parvæ prudentiæ, qualitatem cum cæteris pene confusam, mentis vivacitate discernere. Hujus sunt species numero quatuor, quas Aristoteles pro generibus posuit, scilicet propterea quia et ipsæ singule habent species suas. Id vero cum acciderit, subalterna nominantur, quæ Græci ὑπέλληλα vocaverunt. Ergo primum genus est habitus et affectio: secundum, potentia naturalis: tertium, passivæ qualitates sive passionis: quartum, formæ, ac figuræ. Hæc Aristoteles



ἔξιν καὶ διάθεσιν dixit, φυσικὴν δύναμιν, παθητικὰς ποιότη-  
 τας καὶ πᾶσι, σχήματα καὶ μορφάς. Habitus affectio est  
 animi longo tempore perseverans : ut est virtus et di-  
 sciplina quæ perseveratione sui et perpetuitate temp-  
 oris æstimantur, nisi forte eas languor corporis aliquis,  
 et casu injecta debilitas amputaverit Affectio vero est  
 mutabilis mentis impulsio, vel cupiditas levis, quæ bre-  
 vi tempore deleatur. Habitus ergo et affectio videri po-  
 test; ab hac namque incipit, et si ipsa permanserit,  
 habitus nascitur. Affectio autem habitus videri non  
 potest; si enim ad habitum pervenerit, vocabulum  
 proprium non tenebit. Hoc loco non est incongruum,  
 quod sæpe quæsitum est, brevi tractatu dissolvere ac  
 docere, quid virtutem disciplinamque discernat. Hoc  
 profecto quod disciplina in ea parte animæ quæ ra-  
 tionalis dicitur, tantummodo diversatur; virtus vero  
 omnes animæ partes amplectitur, omnemque animam  
 suo imperio gubernat ac regit: ut et iracundiam do-  
 met, et cupiditates animo amoveat quod disciplina  
 facere haudquaquam valet. Potentia naturalis est,  
 quoties quis videtur vel posse, vel non posse aliquid  
 per naturam facere: ut verbi gratia, plerumque visis  
 corporibus puerorum, et contemplatis artibus pro-  
 nuntiamus aliquid de futuro, eosque dicimus vel pu-  
 gillatores fore, vel cursores: non quod jam hac arte  
 vel studio teneantur, sed quod videantur positione  
 corporis hæc facilius impleturi. Similiter salubres vel  
 imbecilles dicimus, qui aut facile aut non facile reci-  
 piant ægritudinem. Eodem modo namque et in his po-  
 tentia naturalis advertitur, quæ eos facit vel languori  
 crebrius subjacere, vel retinere perpetuam sospitatem.  
 Durum quoque et molle cum dicitur, ostendit poten-  
 tiam naturalem. Durum siquidem est, quod firmitate  
 naturæ corruptionem sui non facile admittat; molle  
 vero, in quo est natura laxior, nec ad contraria repel-  
 lenda sufficiens. Tertium genus qualitatis sive species,  
 passivæ qualitates et passionem, quæ sunt hujusmodi,  
 austeritas, calidatio et frigidatio: sic enim θερμότης  
 et ψυχρότης placet dicere, et albedo et nigredo: quæ  
 non idcirco passivæ qualitates dicuntur, quod patian-  
 tur aliquid, sed quod faciunt passionem. Mel namque ut  
 dulce sit, non a dulcedine aliquid passum est, sed  
 dulcem gustantibus efficit passionem. Passivæ au-  
 tem qualitates rectius dicuntur, albedo et nigredo;  
 et horum media, id est rubor et pallor: hæc enim  
 non nisi animæ vel corporis passione nascuntur. Ut  
 enim nigrescat aliquis, corporis passio est; ut palle-  
 scat vel rubescat, animæ, quæ cum turpitudinis ve-  
 recundiam ferre nequiverit, quasi ad obtentum sui,  
 sanguinis copiam in exteriores corporis partes fun-  
 dit, eoque fit ut pudore nimio rubescamus. Pallor  
 quoque simili animæ passione consistit, cum per-  
 cussa metu nimio ad cordis ulteriora confugit, eam-  
 que sanguis insequitur, adeo ut desertum sanguine,  
 quod est in conspectu, corpus albescat. Hæc animæ  
 passio ita a philosophis vera esse firmatur, ut etiamsi  
 pallor vel rubor in corpore jugiter perseveret, simili  
 passione asserant evenisse. Hæc igitur qualitates si in  
 corpore perseverent, quia secundum eas quales dici-  
 mur, ipsæ quoque qualitates passivæ censentur: sin  
 vero ad breve tempus exstiterint, ita ut cito discedant;  
 passionem eas potius nominamus. Non enim quis si ad  
 tempus iratus est, aut erubuit, aut incaluit, aut re-  
 frigit<sup>1</sup>, mox ad statum naturæ iterum rediturus, aut  
 rubicundus vel iracundus vel calidus vel frigidus appel-  
 lari potest, si ad tempus aliquid passus est. Erit ergo  
 inter passivas qualitates et passionem ista discretio,  
 quod passionem ad tempus exortæ facile commutan-  
 tur; passivæ vero qualitates secundum quas quales  
 dicimur, perpetuo perseverant. Quartam nunc quali-  
 tatis speciem retractemus, in qua sunt formæ et  
 figuræ: et figuræ in animalibus, formæ animalibus  
 tribuuntur. Figuras enim tunc designamus, cum vel  
 trigonum, vel tetragonum, vel conum, vel cylin-  
 drum, vel sphaeram dicimus; formas autem cum for-

mosos asserimus aliquos vel deformes. In eodem  
 qualitatis genere sunt, curvitas et rectitudo. Aude-  
 mus enim εὐθύτητα καὶ καμπυλότητα hoc pacto con-  
 vertere. Ab iis namque rectum vel curvum quidpiam  
 dicitur: lenitudo quoque et asperitas et raritas ac  
 densitas, e quibus rarum, densum, lene et asperum  
 designamus, qualitatum quidem numero sociantur,  
 sed habent alteram interpretationem sui. Siquidem  
 densum coarctationem nimiam conjunctarum partium  
 videtur ostendere; rarum contra, in quo intervallis  
 frequentibus laxior partium videtur esse conjunctio:  
 quinetiam lene illud proprie videtur ostendere, in  
 quo posito partium ita apte pariliterque digesta est,  
 ut nulla earum mensuræ alterius emineret; contra,  
 asperum discrepantia conjunctarum partium facit:  
 asperitatem namque gignit nisi inæqualitas par-  
 tium, ut sit longior una, altera inferior. Ac propter  
 ea hæc quidam volunt categoriæ alteri sociare, quæ  
 apud Græcos κείσθαι, apud nos jacere, sive ut An-  
 gorius<sup>1</sup>, quem ego inter doctissimos habeo, voluit,  
 situs dicitur. Claret enim unumquodque earum par-  
 tium, quæ corpus efficiunt, positione constare: ve-  
 rumtamen cum lene vel asperum vel densum vel ra-  
 rum dicimus, qualia demonstramus, eaque omnia,  
 quæ de his superius explicata sunt, ad interpretatio-  
 nem non vocabuli, sed naturæ videntur potius perti-  
 nere: qua de causa cogit ratio, ut hæc quoque inter  
 qualia numeremus. Ab his igitur, quas enumeravi-  
 mus, qualitibus παρωνύμως qualia nominantur, ut  
 lene a lenitate, a densitate densum, cæteraque his  
 similia. Sed plerumque accidit, licet raro, ut qualia  
 non παρωνύμος a sua qualitate descendant, ut a virtute  
 non potest dici virtuosus, sed moderatus et indu-  
 strius. Nec in græco quidem ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, ἀρετὸς; di-  
 citur, sed σπουδαῖος. Unde apparet qualia, etiam  
 neglecta plerumque paronymorum derivatione con-  
 stare. Hæc hactenus: nunc qualitatis hujus propter  
 quam diversas species explanavimus, consequentias,  
 et proprium videamus. Et primum quidem contrarie-  
 tatem recipere qualitates, nulla dubitatio est. Quis  
 enim dubitat saluti contrarium esse languorem, justi-  
 tiæ injustitiam, calorem frigori, malo bonum, non  
 erudito litteris eruditum? Sed hoc non in omni qua-  
 litate reperies: nam pallido, vel fusco, vel quadrato,  
 vel trigono, nihil potest esse contrarium. Non ergo  
 erit incommodum regulam quamdam dare, qua quæ  
 qualitates contrarietatem non recipiant, possit ad-  
 verti. Erit igitur notum doctis, eas qualitates, quæ  
 contrariis mediæ sunt, et eas quæ ex formis figuris-  
 que nascuntur, contrarietatem penitus excusare<sup>2</sup>.  
 Contrariis autem medias dixi, ut est fuscum et palli-  
 dum: hæc enim duo de albedine nigredineque na-  
 scuntur, ac sunt his media; ipsa vero albedo et ni-  
 gredo sibi sunt contraria; fusco autem pallidoque  
 contrarium nihil est. Claret ergo contrariorum me-  
 dia, contrarium non habere. Quin etiam qualitas,  
 quæ ex forma vel figura consistit, contrarietatis  
 ignara est. Quid enim quadrato vel trigono, quid cir-  
 culo vel cono vel cylindro contrarium quis opponat?  
 Regulariter ergo teneamus contrarietatis receptricem  
 qualitatem, nec omnem posse esse, nec solam. Nec  
 illud est omittendum, ut sciamus in contrariis quali-  
 tatum, sub eadem categoria esse alterum, sub qua  
 aliud invenitur: ut justitiæ injustitia contraria est;  
 qualitas justitia; et injustitia igitur qualitas est. Item  
 qualitas est albedo; quare nigredinem quoque esse  
 qualitatem necesse est. Quo fit, ut regulariter con-  
 trariæ qualitates categoria semper eadem vinciantur.  
 Quærentes interea quid sit proprium qualitatis, quo-  
 niam contrarietatem suscipere nec solius est, nec to-  
 tius, aliud perscrutemur. Video enim magis et minus,  
 hoc est μάλλον καὶ ἧττον in se recipere qualitatem.  
 Namque magis album, vel magis nigrum, vel magis  
 musicum, vel minus musicum possumus dicere. Ve-  
 rum id quoque nec in omni qualitate, nec in sola

<sup>1</sup> Ita Mss. At editi, *refriguit*.

<sup>1</sup> In aliis Edd., *Augurius*. M.

<sup>2</sup> Ita veteres Mss. At editi, *recusare*.



poterit inveniri. Quis enim prudentiam prudentia prudentiorem possit dicere, vel albedinem clariorem albedine, vel doctrinam doctrina doctiorem, vel trigono magis trigonum, vel quadrato magis quadratum. Si enim trigonum fuerit, magis esse quam trigonum non potest; aut si magis aut minus fuerit, jam trigonum non erit. Separare tamen placet ac discernere eas qualitates, quæ magis et minus recipiunt, ab iis quæ hunc gradum comparationis excusent<sup>1</sup>. Sit ergo hæc regula, qualitates ipsas magis et minus non posse suscipere. Ea vero, quæ ex his fiunt, comparata, vel magis recipere posse vel minus: ut eloquentiam magis eloquentiam, seu minus nullus dicere potest: eum vero qui eloquens dicitur, magis vel minus cæteris eloquentem possumus dicere. Claret ergo magis et minus in qualibus inveniri posse, nunquam posse in qualitates incidere. Figuræ quodque, ut superius explicatum est, non admittunt magis et minus: siquidem circulo, si aliquid addas vel minus, circuli jam vocabulum non tenebit, et in alterius figuræ nomen migrabit. Manifeste igitur designatum est quæ qualitates hujusmodi gradus comparationis accipient, et quæ ab his videntur esse alienæ. Reliquum est ut qualitatis proprium, quod apud Græcos est ἴδιον, investigemus. Namque usia habet hoc proprium, ut singularis atque una numero, contraria in se suscipiat: suscipiat autem dixi, non habeat contraria. Meminisse autem nos oportet, quod usiæ, cum de ea tractarem, nihil esse diximus contrarium. Ergo ut ejus est proprium suscipere contraria, id est, sanitatem modo, modo ægritudinem; quanti vero, id est τοῦ πᾶσιν, ut par imparve dicatur; τοῦ δὲ πρὸς τι, ad aliquid, ut sint ἀντιστροφὰ, hoc est, ut in se convertantur, ac sint sibi natura conjuncta: ita et qualitatis hoc proprium est, ut cuncta qualia similia, aut dissimilia nominentur. Et dulce enim dulci, et albo albo, et stulto stultum, et leni leni, et calido calidum, similia vel dissimilia proprie nuncupantur. Aliter enim si dicta fuerint, nuncupationem propriam non habebunt. Ne autem nonnulli in legendo turbentur, quod et affectio, et habitus, et disciplina, quæ in ad aliquid dictis, id est ἐν τοῖς πρὸς τι positæ, eidem qualitati quoque connexæ sunt; hanc discretionem damus, ut tunc categoriæ ad aliquid socientur quando sunt genera, cum vero species, qualitati: ut puta si disciplinam dixeris, quæ est genus cæterarum; ad aliquid referenda est: disciplina enim discibilis rei disciplina dicitur. Quod si musicam dixeris, musica disciplinæ species est, non genus; qualitati nectenda est: neque enim musici musicam possumus dicere, sed musici disciplinam. Similiter et affectio et habitus secundum genera et species, nunc ad aliquid, nunc qualitati nectuntur. Siquidem si affectum vel habitum, hoc est διατεσιν et ἔξιν generis dixeris, id est disciplinæ; ad aliquid referuntur: sin autem affectum sive habitum speciei esse dixeris, id est musicæ vel grammaticæ; qualitates debemus agnoscere. Quamvis ipse quoque Aristoteles magnus ingenio huic pene permixtioni concesserit, ac dixerit posse contingere, ut quod qualitatis fuerit, idem referatur ad aliquid; nec esse importunum, si una res duarum categoriarum vocabulo concludatur.

#### CAPUT XIII. — De facere et pati.

Dicta sunt autem omnia quæ ad quatuor categorias maximas atque difficiles pertinebant: nunc ordo commonet ut post qualitatem de facere et pati tractatus habeatur. Quæ duo videntur ex qualitatis fonte descendere: id namque quod calidum facit, calidum sit necesse est; calidum vero quale esse cognoscimus. Similiter quod calidum fit, passione sui accipit qualitatem: et qui docet, cum docet doctor est, et discipulum facit; uterque autem sive doctor sive discipulus qualis est: et cætera his similia considerata demonstrant recte has duas categorias præposita qualitate tractari.

<sup>1</sup> Ita veteres Mss. At editi, recusent.

Hæc duo autem facere et pati multi dixerunt, non posse nisi iis, quæ fuerint contraria, provenire. Id enim quod dulce est, dulce non facit, nisi id quod dulce non fuerit, nam si id quod patitur dulce fuerit, per naturam sui alterius dulcedinem quo recipiat, non habebit; necesse est ergo dulce non esse id quod patitur, ut dulcedinem recipiat alienam: ac propterea cum quod facit dulce est, et quod patitur dulce non est, necessario dicuntur videri contraria. Nonnulli diversa senserunt, asserentes non posse hæc nisi in similibus inveniri, et sub eodem genere constitutis; nec posse aliquid pati vel facere, nisi simile faciat, aut a simili patiatur. Dulce enim et amarum, vel calidum et frigidum, licet contraria videantur, tamen cum sub eodem sensu fuerint, similia esse confirmant. Denique ab alienis penitusque discretis patiendi faciendive rationem dicunt non posse consistere: ut verbi gratia, quid enim faciet numerus in amaro, vel quid albedo pati possit a numero? Sed hæc sit conflictio cæterorum: nobis autem regula illa sufficiat, ut sciamus facere et pati genere esse conjuncta, qualitate discreta. Etenim calidum, quod frigidum præstat calorem sui, sub eodem genere est, quo est et frigidum; sed discrepat qualitate quod calet: et doctus cum docet indoctum, sub eodem genere est; sed qualitate discernitur. Claret ergo facere et pati genere esse similia, contraria qualitate. Sed hæc duo, ut superius diximus, adeo videntur qualitati non modo ordine, sed etiam ratione conjungi, ut eadem recipiant, quæ recipere diximus qualitatem. Namque et contrarietatem non respuunt, quam qualitas recipit; et magis et minus admittunt, quorum qualitatem quoque diximus receptorum. Harum vero categoriarum proprium, quod est græce ἴδιον, quoniam ipse quoque Aristoteles, omisit, nec a nobis lector inquirat.

#### CAPUT XIV. — De jacere, sive situ.

Sequitur ut de jacere dicamus, sive de situ, ut quidam putant: quæ categoria in ad aliquid relatis jam videtur esse tractata. Siquidem quod jacet, positum jacet: positum vero positionis est, et positio positi. Qua de causa, ut ipse quoque Aristoteles, quem sequimur, fecit, ad alia transeamus.

#### CAPUT XV. — De ubi et quando.

Ubi et quando videntur locus esse et tempus, cum non sint; sed sunt in loco et tempore: ut, Romæ, in senatu, ante horam tertiam, post mensem martium. Hæc, ut diximus, in loco sunt et in tempore, non locus et tempus. Denique ut claras et nullius tractatus indigas, has categorias Aristoteles quoque transgressus est; quod nos etiam faciemus. De tempore enim et loco inter summos philosophos vetus et magna quæstio est, quibusdam volentibus hæc corporata esse, aliis vero sine corporibus æstimari.

#### CAPUT XVI. — De habere.

Non uno modo habere aliquid dicimur. Quantum enim tractando colligimus, sub hoc verbo octo sunt quasi quædam species. Prima est, quoties animo habemus aliquid, ut justitiam, castitatem, injustitiam vel libidinem. Secunda, quoties in corpore habere aliquid dicimur, ut albedinem et nigredinem, varietatem, vel cætera quæ per qualitatem corpori insidunt. Tertia de quantitate descendit, quoties quatuor vel quinque pedum habere dicitur longitudinem. Quarta, cum non in toto corpore, sed in parte corporis aliquid habere firmamur; ut in digito annulum, in pede calceos vel cothurnos. Quinta species est, cum non in corpore, sed circa corpus habere aliquid dicimur, ut est vestimentum atque indumenta omnia. Sexta, quoties ipsas partes corporis habere narramus, ut manus, pedes, caput, aut reliqua quæ sunt in compage membrorum. Septimus vero locus est, quoties far vel vinum vas aliquod habere dicitur. Octavus habendi gradus est, qui possessionem nostram vel dominium videtur ostendere, cum ædes vel rus quis habere dicitur, vel sepulcra majorum. Hi sunt habendi modi, quos designato numero comprehendimus, extra



quem si quis potuerit invenire, desidiæ nostræ culpa non erit, cum Philosophus ipse liberum dimiserit arbitrium inquiringibus. Sane illud verbum multi doctorum respuunt, atque improprie proferri confirmant, cum mulier habere maritum dicitur, vel vir uxorem, vel pater filium, vel filius genitorem; propterea quod asserunt non haberi posse, quod habeat habentem: sed rectius dici autumant esse mulieri virum, vel uxorem viro esse, patrem filio esse, famulis dominum. Siquidem hujus verbi vim in hoc esse contendunt, ut significare non possit, et habere aliquem et haberi.

CAPUT XVII. — *De postprædicamentis.*

Tandem quasi magni æquoris freta transgressi, categoriarum numerum terminavimus, ut arbitror non insuasibiliter doctis, satis vero clare volentibus discere: sed quædam restant, quæ calcem libri hujus nos tangere contradicunt. Nam et in categoriis singulis de contrarietate tractatum est, cum quæ reciperet contrarium, et quæ respueret diceremus. Tamen quid sit ipsum contrarium, nullus adhuc tractatus ostendit: et adhuc quædam verba remanent, quorum vis ac proprietas debeat explicari. Qua de causa ad oppositorum tractatum necessarium transeamus.

CAPUT XVIII. — *De oppositis. Tres species contrariorum.*

Oppositorum species quatuor sunt: opponitur namque aliud alteri; primo, aut figura ejus categoriæ, quæ ad aliquid dicitur; secundo, aut contrariorum modo; tertio, aut eorum, quorum circa nos esse dicitur habitus vel privatio (habitum sane hoc loco ex habendo debemus accipere, non ut in superioribus definivimus, esse habitum affectionem animi quamdam sempiternam); quarto modo, cum aut confirmamus aliquid, vel negamus: ut verbi causa, ab iis quæ ad aliquid dicuntur, ponamus exemplum. Primum oppositum videtur duplum simpli, vel pater filio. Secundum vero contrariorum exemplum sit, malum bono. Tertium eorum quoque quæ per habitum et privationem dicuntur, sicut cæcitas et visio. Quartum illorum etiam in quibus est negatio et affirmatio, sicut, currit, non currit. Discretio vero contrariorum, et eorum quæ ad aliquid dicuntur, contemplantibus manifesta est: ad aliquid enim dicta, de sibi oppositis nominantur; simplum namque oppositum dupli est, et duplum oppositum simpli: contraria vero id quod dicuntur ex se habent, neque alterius indigent. Quis enim malum boni dixerit, aut quis bonum mali? Hæc est ergo harum duarum specierum, quæ ex oppositis veniunt, dilucida et clara discretio. Ipsa vero contraria in tres species dividuntur: aut enim mediata sunt, id est, habent aliquid inter se medium; aut sine medio; aut ut in quibusdam reperit ratio, habent quidem medium, sed ejus vocabulum non apparet, nisi utriusque oppositi negatione consistat. Mediata ergo sunt hæc, album et nigrum, inter quæ quando nasci potest pallidum vel fuscum, mediata hæc opposita dicuntur. Quæ vero mediata sunt, non necesse est unum de duobus oppositis in corpore reperiri: si enim nigrum non fuerit, potest esse fuscum; aut si album defuerit, pallidum poterit inveniri. At vero ex his oppositis quæ mediata non sunt, unum necesse est accidere de duobus, ut est salus et ægrotudo. Horum medium nihil est propterea quod aut salutem necesse est, aut ægrotudinem humana corpora retinere. At illa quibus est quidem medium, sed caret nomine, nisi huic oppositorum negatione formetur, sunt hæc, justus et injustus: est aliquid in medio, sed non habet nomen; atque ideo utriusque oppositi negatio ei vocabulum creat, ut nec justum, nec injustum dicamus id, quod est medium. Nunc ea opposita quæ per habitum privationemque fiunt, diligentius retractemus: in his namque observari oportet, ut sint utraque in eodem negotio, in eodem loco, in opportuno tempore. In eodem negotio sunt, cæcitas et visio; in videndo enim, et in non videndo consistunt. Hæc et in eodem loco sunt; utriusque namque et cæcitati et visioni in oculis locus est. Maxime tamen in his oppor-

tionitas temporis quæritur: nemo enim recte calvus dicitur, nisi in eo tempore, quo capillos habere debuerit, non habebit: nec sine dentibus, quem ὠδόν Græci vocant, infantem quisquam poterit dicere eum cui dentes adhuc ætas parva denegavit. Siquidem privatio, quæ græcè στέρησις dicitur, hanc vim tenet, ut ostendat quemlibet habuisse aliquid per naturam, et non habere. Inter hæc meminisse nos convenit, aliud esse visionem et cæcitatem, aliud habere visionem et ea esse privatum; ne si hæc eadem esse judicemus, confundi ratio videatur. Quod si quis hoc dubium putat, aut parum certum, quid quamque rem sequatur advertat. Etenim si esset idem cæcus et cæcitas, de uno utraque dicerentur: dicimus autem hominem cæcum; sed homo dici cæcitas non potest: claret igitur, aliud cæcum esse, aliud cæcitatem. Nec affirmatio et negatio idem est, quod sunt sub affirmatione negationeque cadentia. Affirmatio enim sive negatio, est verbum confirmans aliquid aut negans; alia vero sunt, quæ sub his inveniuntur, ut est, Socrates disserit, Socrates non disserit. Similiter tamen omnia sibi habentur opposita. Aliquoties autem mala malis opponuntur, quoties contrariorum media bona sunt, ut est indigentia et redundantia, quæ Græci ἐνδείαν καὶ ὑπερβολὴν vocant. His enim duobus malis sibi oppositis, mediocritas media reperitur. Hanc rationem Peripatetici secuti, virtutes medias esse dixerunt, ut plus justo πλεονεξίαν, minus justo μειονεξίαν dicerent: inter quæ mala, mediam justitiam locaverunt. Similiter inter versutiam et hebetudinem, prudentiam posuerunt; inter libidinem insensibilitatemque, quam Græci ἀναισθησίαν vocant, temperantia constituta est; inter timiditatem et audaciam, fortitudo. Ita occultum quoddam genus oppositorum reperit perscrutata ratio, ut interdum mala malis inveniantur esse contraria. Sed Aristoteles harum quatuor specierum, quæ ex oppositis veniunt, proprietates et differentias latius et multis modis explicavit: nos autem et genus et species posuisse sufficiat, ne minutioribus occupati, fastidium necessariis afferamus.

CAPUT XIX. — *De priori.*

Quinque modis aliud altero prius dicitur: quorum primus est, cum dicimus aliquem tempore seniore. Secundus modus est, in quo aliquid nascitur ex priore; sed priore pereunte secundum perit, secundo pereunte prius incolome perseverat; ut est unum naturaliter prius duobus: ex eo enim nascuntur duo, sed sine uno duo esse non possunt, sine duobus status unius manet; et duobus exstantibus esse unum necesse est, uno vero apparente duo esse nulla necessitas cogit. Tertio modo ordo quidam prius alterum alteri facit, ut in disciplinis et artibus liberalibus invenimus: namque in grammatica prius est singularum dicere formas et nomina litterarum, dehinc syllabarum conjunctiones cognoscere, tum verborum sumere notionem: postremus nobis est orationis usus assumendus, propter quem cuncta ejus, quasi præcurrentia membra, cognoscimus. Et in rhetorica prioris locus similiter collocatur: nam prius proœmium dicimus, dehinc narrationem, post depulsionem, tum confirmationem; postremus epilogus ponitur. His igitur exemplis tertium prioris modum sufficiat demonstrasse. Quartus vero modus est non multum probabilis; et ab ipso Aristotele improbatum exponitur, ut cum fortuna meliores vel clariores, priores vulgus assolet dicere. Sed mea sententia, vis hujus prioris explosa est. Hi sunt quatuor ejus, quod prius dicitur, modi: sed occultior quidam quintus adjungitur, quoties, ex duobus, quæ in se invicem convertuntur, illud est potius quod esse alterum facit: ut exempli gratia, si est homo, recte dicimus eum animal rationale, mortale, risus capax. Et si vera est hominis ista definitio, esse hominem verum est. Ita utrumque in se convertitur, hoc est et hominis veram esse definitionem, et definitionis hominem verum. Sed quoniam definitio vera esse non poterat, nisi prius natura hominis appareret; idcirco ex his duobus.



quæ in semet converti diximus, homo prioris locum tenet, cujus exstantia definitionis suæ exprimit veritatem.

CAPUT XX. — *De simul.*

Sequitur ut proprietatem verbi, quo simul esse quædam dicimus, exprimamus. Ratio enim videtur exigere, ut post prioris tractatum de his disputetur, quæ simul esse firmantur. Simul ergo dicuntur tribus modis: cum quælibet simul existunt uno tempore vel apparent, ita ut neutrum de duobus vel prius sit, vel alterum consequatur, sed utriusque ortus videatur esse communis, sicut calor et splendor in sole. Secundus locus est eorum, quæ naturaliter simul sunt, nullum tamen eorum præstat alteri: ut verbi gratia, si simplum et duplum ponamus, necesse est simul esse naturaliter, sed neque duplum facit ut simplum sit, neque simplum efficit duplum. Hoc loco nos confundere non oportet, ne quoniam cum de ad aliquid dictis tractaremus, id esse ad aliquid diximus, quod penderet ex altero, videamur nunc contra superius definita tractare. Omnia namque ad aliquid dicta, dici ex altero, non esse ex altero disputavimus: nec ullus error est, si quis verborum nostrorum pondera diligentius perscrutetur. Tertius locus est, quoties ex eodem genere manantia simul videntur esse natura, sed specie discernuntur: neque vero sibi in eo, quod dicuntur, aliquid præstant, ut est animal; idem genus est, sed species longe discreta. Nec vero aut volatile quidquam pedestri tribuit ut sit, aut volatili pedestre, aut omnino aliud alteri, in eo quod est, ullam substantiam subministrat; nullumque alteri aliud prius est, sed simul omnia ab animali, id est ab uno genere orta nascuntur.

CAPUT XXI. — *De Motu.*

Omnis immutatio quæ μεταβολή græce est, fit tribus modis: aut ex non subjecto in subjectum, ut est ortus vel nativitas, quam Græci γένεσιν vocant; aut ex subjecto in non subjectum, ut est interitus vel corruptio, quam φθοράν Græci dixerunt; aut ex subjecto in subjectum, ut est motus, qui græce κίνησις dicitur. Sed et ipse motus tres species habet, id est, incrementum, imminutionem, commutationem qualitatis sive loci. Hæc a Græcis αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, sive φορά dicta sunt. Namque commutationem circa locum, φοράν dici voluerunt, quam nos quoque transgressionem maluimus dicere, secuti doctores. Verum hunc ordinem, quem nos in præsentī, quasi discrepantes ab eo libro, qui categoriarum dicitur, diligenti examinatione digessimus, ipse quoque Aristoteles in naturalium libris exposuit; in categoriis autem secutus docendi compendium, speciem pro genere, id est motum pro immutatione non dubitavit assumere: ut motui diceret quasi generi sex species esse subjectas, γένεσιν, φθοράν, αὔξησιν, μείωσιν, ἀλλοίωσιν ποιότητος<sup>1</sup>,

<sup>1</sup> Vocem Ποιότητος non fert Aristoteles. M.

κατὰ τὸν τόπον μεταβολήν. Hæc nos latino sermone ortum diximus, interitum, augmentum, imminutionem, commutationem qualitatis, transgressionem loci. Hæc sex species omni a se ratione discretæ sunt: nisi forte cuiquam parum docte intelligenti, qualitatis commutatio, id est ἀλλοίωσις, etiam cæteris existentibus fieri videatur, ut cum nascitur aliquid, aut interit, aut crescit, aut minuitur, tunc facta dicatur etiam commutatio. Sed id falsum ratio docet: nam quæ crescunt aut minuuntur, quantitate immutantur, non commutantur qualitate. Commutatio enim proprie est qualitatis. Meminisse autem nos oportet aliud esse immutationem, aliud commutationem. Namque immutatio genus est, commutatio species subjecta motui, quam immutationis speciem diximus. Denique ut horum sit manifesta discretio, geometricum ponamus exemplum. Si tetragonum majus, quod intra depictum est currentibus per medium lineis in brevem tetragonam partiaris, eique post unum breve tetragonum detrahas; minuiisti tetragonum majus: at si detracti loco addas gnomonem, qui hemicycli specie ponitur, plus tetragono majori, quam detraxeras, reddidisti: idque quantitatis est, non qualitatis, et immutationi potius quam commutationi tribuitur, eoque a se plurimum differunt. Fit autem differentia rerum omnium tribus modis: aut materia, aut opere, aut utroque. Materia, si sint annuli similes duo, unusque sit aureus, alter argenteus; opere, si ex auro dissimiles annuli fabricentur; utroque, si annulus sit aureus, et stilus argenteus. Claret igitur hæc immutationis species, nec materia sibi, nec opere, nec utroque conjungi: adeo autem sejunctæ sunt, ut earum nonnullæ etiam sibi contrariæ videantur. Quis enim dubitet γένεσιν φθοράν, id est ortui interitum esse contrarium, augmento imminutionem? Ipsa quoque commutatio sive qualitatis sive loci, licet non ex eodem specierum numero, tamen habent quod sibi contrarium videatur. Nam commutatio qualitatis est, cum ex albo fit aliquid nigrum vel album de nigro, quæ sibi manifeste contraria sunt. Loci quoque commutatio, quam transgressionem diximus, superiorum et inferiorum contrarietatem patitur, et propterea eam quoque habere contraria apparet.

CAPUT XXII. — *Conclusio operis.*

Hæc sunt, fili charissime, quæ jugi labore assecuti, cum nobis Themistii nostra memoria egregii philosophi magisterium non deesset, ad utilitatem tuam de græco in latinum convertimus; scilicet ut ex iis quoque bonam frugem studii a nobis profecti suscipias, si te non dissimilem nostri, aliarum rerum quæ lubricæ atque inanes sunt, cupiditas retentaverit. Nihil namque omisimus in hoc libro quod posset aut delectare jam doctos, aut indoctos manifestius erudire.

## PRINCIPIA RHETORICES<sup>(a)</sup>.

CAPUT PRIMUM. — *Oratoris officium.*

Oratoris officium est, proposita quæstione civili duntaxat, primum ipsam intelligere, generalis sit an specialis, simplex an conjuncta ex pluribus, absoluta an comparativa. Deinde cum intellexerit, invenire in ea congruentes partitioni locos, et his morales seu naturales accommodare sententias. Exinde judicare de inventis, repudiare quæ parum commode occurrerint: tum iis quæ judicio examinarit, dare ordinem certum. Etenim quamvis multa pertinentia inventa sint, tamen nisi pro qualitate et magnitudine sua, certis et quasi legitimis sedibus collocentur, aut oberunt, aut non magnopere proficiunt. Subinde ordina-

tioni rhetor explicationem rerum commodare debet. Quæ duabus partibus constat, structuræ qualitate et quantitate verborum. Hæc omnia memoria suscipit, quam et plerique Græcorum, et M. Tullius in primis oratori affirmat necessariam, hoc, ut opinor, modo: « Venio nunc ad thesaurum rerum omnium memoriam; quæ nisi custos inventis, ordinatisque rebus adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi præclarissima sint, in oratore peritura. » Memoriam pronuntiatio sequetur, res, ut Demostheni videtur, inter oratoria officia vel prima vel sola: quæ consistit duobus, motu corporis et sono vocis. Hæc tantum summam tetigisse satis est, quæ sunt oratoris officia. Reliquum est videre quid sit finis.

CAPUT II. — *Quis sit finis oratoris.*

Finis est, ut opinor, in omnibus rebus, ad quem

(a) Opusculi hujus exemplar ullum Ms. non reperimus. Auctor græca vocabula citra necessitatem usurpat, contra morem Augustini.